OBSERVATIONES ALIQUOT CRITICAE

IN

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIAE LIBROS,

QUAS

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS RITE
OBTINENDIS

SCRIPSIT

LUDOVICUS JANUS,
CASTELLENSIS.

Ludwig Jan

MONACHII, MDCCCXXX.
TYPIS MICH. LINDAUER.

C. Plinii Secundi Naturalis Historiae libros XXXVII., illud „opus diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsa natura," *) ad quod illustrandum singularis hominis neque vitam neque ingenium scientiamve suppetere confessum est, ope philologorum denuo edendi et commentariis exornandi consilium cepisse primarios in Germania rerum naturae investigatores, jam dudum nota atque apud omnes pervulgata res est. In novissimi autem eorum conventus actis **) cum de iis, quaecunque ad propositum illud assequendum jam nunc sunt instituta, copiose relatum: tum iter, quod LUDOVICI Augustissimi Bavariae Regis auctoritate, ut Florentiae Parisiisque vetustissimos quosdam manu scriptos codices Plinianos cum editis conferrem, in Italiam Galliamque feci, quem habuerit successum, expositum est addita quadam mea epistola, quam ad Fridericum Thierschium V. Cl., studiorum meorum auctorem fautoremque benevolentissimum atque ut omnium, quae ad novam illam Plinii editionem pertinent, ita hujus mei negotii moderatorem, dederam Parisiis. Quam ob causam mihi verendum erat, ne, si quid amplius de eadem hac re in medium proferrem, tempus perdere multis viderer. Attamen, quum in illa epistola minus accurate complura a me essent disputata, facere non poteram, quin hasce, quantulaecunque sunt, observationes in libros illos conscripturus pauca praefarer, quibus alia, quae ibi omnino non attigissem, nunc primum expromerem: alia, quae perquam breviter, planius explicarem: alia, de quibus re diligentius considerata sententiam mutavissem, corrigerem.

*) Vid. C. Plinii Caec. epp. lib. III. ep. 5.

**) Vid. Isin auct. Okenio V. Cl. an. 1830. fasc. 5. pag. 540. sqq.

Librorum igitur manu scriptorum, quibus operam navabam, primus fuit codex Riccardianus, quem viri quidam docti *) omnium vetustissimum putari retulerunt, Bandinius vero, qui in bibliothecae Mediceae Laurentianae codicum Latinorum catalogo eum descripsit, recte haud dubie saeculo IX. exaratum prodidit. Quo penitus excusso et Laurentiano (Plut. 87. Codd. 1. et 2. saec. XIII.), quem idem ille Bandinius l. l. „ex Riccardiano profluxisse" censuit, quantum temporibus subsecivis fieri potuit, examinato, quum de exsequenda mandati, quod mihi datum erat, parte altera ex patria nondum literae ad me essent allatae, ultro iter Romam perrexi, ubi ex multis libris Mss. in bibliothecis Vaticana, Barberina et Angelica a me perlustratis unus Vaticanus Nr. 3861., quem Harduino incognitum, „majorem quam ceteros Vaticanos prae se ferre aetatem" tradidit G. Zoëga, saeculi XI. vel XII., Plinii Naturalis Historiae libros undeviginti priores continens, mihi videbatur dignus, cui breve id temporis spatium, quod mihi concessum erat, dicarem. Libros eos, qnos in Riccardiano desideratos ***) in hoc inveneram, perscrutatus, quum feriae aestivae advenirent, Neapolim me contuli, ut bibliothecae regiae s. Burbonicae codices Mss. inspicerem, in quorum uno, qui signatus est V. a. 4., in prima pagina legi adscripta (ut quae ad rem pertineant tantum afferam) haecce:

„Antonius Comes a Turre Rezzonici, qui tot Plinianos codices per universam Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam diligenter inspexit, neminem (!) huic rite comparandum invenit. Nam licet annos quatuorcentum (sic!) circiter redolere videátur, tanto judicio variantes (?) lectiones seu potius unica et mera Plinii mens in plerisque restituitur, ut haec

*) Antonius Jos. Comes a Turre Rezzonici, disquisitt. Plinn. vol. II. pag. 246. — Georg. Zoëga, de orig. et usu obeliscor. pag. 9. et Jo. Andres Hispanus in commentariis, quos de itinere Italico anno 1785 suscepto conscripsit, in linguam Germanicam versis ab E. A. Schmid. vol. I. pag. 46.

**) Vol. II. pagg. 186 sq.

***) In eo liber I. initio et fine mutilus est; item liber XII. — Libri XIII. finis est in sect. 27. — Quartus decimus et sequentes libri usque ad vicesimum primum, libri XXII. finis cum libris XXIII. et XXIV. et libri XXV. initio desunt. — Libri XXVI. XXVII. et XXXV. mutili sunt. — Finis libri XXXVI. est in sect. 43; idemque totius codicis.

vera incomparabilis auctoris naturalis historia dici mereatur. Huic uni igitur exemplari potius quam ceteris standum erit, ubi quis post Harduini labores restantia amanuensium errata de medio tollere intendet.

Haec Ausonio calamo Herculanum profecturus subjeci. VIII. Cal. Oct. anni vulg. aerae MDCCLIIX.

Antonius Comes a Turre Rezzonici."

Quae, licet ipse Rezzonicus Ausonio non Latino calamo se ea scripsisse haud incommode monuerit, me commoverunt, ut ex eo nonnulla exscriberem. Jussu Regio paulo post avocatus Parisios, ibi singulari C. B. Hasii V. Cl. humanitate quam maxime sustentatus in duos imprimis incubui libros Mss. (N. 6795. saec. VIII. v. IX. et N. 6797. saec. XIII.), quos Harduinus Regios primum et secundum nominavit.

In quibus percensendis dum versabar, me advertit quae inter priorem illum, Regium I., et Riccardianum est similitudo; quum non modo quam indicis partem ex codicibus Mss. Parisiensibus primus vulgavit Harduinus, *) sed etiam insigne quoddam erratum in Riccardiano a me animadversum idem fere in illo libro invenissem.

In Riccardiano enim priorem nominis *Anaximandri* partem (*Anaximan..*) in libri II. capite 76; sect. 78. excipiunt verba *Celadussam vocat*, quae, quum in codicis Ms. margine tantum adscriptum sit: (☩ *deest*), diu a me quaesita, tandem in libri IV. capite 12. med.; sect. 22. reperi. Quae hunc locum sequuntur (libri IV. pars posterior et libri V. pars prior), ea recte procedunt usque ad libri V. capitis 5. sect. 5. verba: *puteos tamen haud difficile binum ferme cubitorum altitudine inveniunt* **), ubi post *altitudi...* inseruntur, quae supra omissa erant, libri II. pars posterior, liber III. et libri IV. pars prior, ita ut vix possit dubitari, quin omne erratum inde ortum sit, quod, qui exemplar, ex quo hic codex transcriptus sit, compegisset, paginas quasdam negligentia in alienum locum transtulisset.

Non aeque temere librarius, qui Regium I. exaravit, archetypum secutus est, sed tantum abfuit ut rem expediret, ut multo magis eam implicaret. Namque in libri II. loco eo, quem supra designavi, inserta, ut in Riccardiano, libri IV. parte posteriore, huic subjunxit librum III. et libri

*) Vid. notas et emendd. ad Plin. H. N. lib. XXIX.; not. XXXII.

**) Ita in codd. Mss. haec verba collocata sunt.

IV. partem posteriorem, quam excipit libri V. pars posterior inde a verbis, quae commemoravi; post hanc denique interposuit libri V. partem priorem et libri II. partem posteriorem. Corrector autem aliquis, turbatum ordinem signis appositis restituere conatus in aliis locis alia adscripsit, quibus lectorem vel amanuensem, qui hoc exemplar describere jussus erat, de vera abruptas has partes conjungendi ratione admoneret.

Quae quum in universum cognovissem, singula vero conferendi (quae enim ex codice Riccardiano enotaveram, ex Italia miseram Monachium) mihi non esset copia, duos hos libros, quos hac quidem ex parte ab eodem exemplari profectos esse patet, omnino congruere putavi: nec quae Riccardiani lectionum ex primis Naturalis Historiae libris specimina mecum communicavit F. Thierschius V. Cl., de hac sententia me depulerunt. Hunc ergo codicem ad aliud tempus rejiciens, inspectis ceteris libris Mss. Plinianis — inter quos Colbertinus primus (N. 6796), ex complurium codicum Mss. partibus, ut videtur, compositus, cujus nonnullae paginae literarum ductibus Riccardiano tam sunt similes, ut, quum eorum librorum, qui in illo desint, partes aliquas contineant, nisi formae essent paulo minoris, ad illum pertinere possent videri, et Colbertinus secundus (N. 6796. A.) de Regio I. eoque ab altera manu correcto factus, aliquamdiu me tenebant occupatum — suadente quoque J. Silligio V. D., qui Plinii verba emendandi curam suscepit, ad excutiendum Regium II., codicem Ms. formae maximae, ternis columnis scriptum, totum nostri opus complectentem aggressus sum. Hoc vero negotio absoluto temporibus magis adductus, quam mea sponte, in patriam reverti: ubi Riccardiani et Parisiensium codicum Mss. lectionibus, quas exscripseram, accuratius inter se comparatis magna cum mea offensione animadverti in aliis libris aliam eorum esse rationem, et in quibusdam Regium II. fere propius ad Riccardianum accedere. Eandem singulorum librorum differentiam, quum ea, quae Gronovius *) ex codice Vossiano prodidit, cum Parisiensibus contulissem, deprehendi in illo, quippe qui horum modo uni modo alteri similior sit. Qua ex causa in hac nunc sum sententia, ut, quosquos habemus, vetustiores Plinii Naturalis Historiae codices Mss. non ex uno quemque exemplari integro, sed ex variis singulorum librorum apographis temere congestis

*) Vid. editionis, quae Lugd. Bat. an. 1669. prodiit, vol. III., in fine.

transcriptos esse existimem, id quod, per se verisimillimum, confirmatur argumento ab ultimis saeculis repetito, quod Fabricius *) nobis suppeditat ex Symmachi quadam epistola ad Ausonium scripta (lib. I. ep. 24.) afferendo haecce: *Si te amor habet naturalis historiae, quam Plinius elaboravit, en tibi libellos, quorum praesentanea copia fuit.*

Exemplar Laurentianum, quod, ut retuli, „ex Riccardiano profluxisse" censuit Bandinius, ego et ipse ab hoc codice originem trahere antea putavi: nunc vero, et quod a Riccardiano, ex quo verus librorum ordo nullo alio exemplari adhibito cognosci omnino nequeat, nullum, qui integrum hunc exhibeat, codicem Ms. posse profectum esse mihi persuasi: et quod in iis, quas inspexi, partibus illud vel in erratis plane cum Regio II. congruere inveni: eundem ei cum hoc potius libro fontem fuisse statuerim, quem „fere cum Chiffletiano congruere" jam recte dixit Harduinus **), licet in nonnullis libris, in vicesimo primo praesertim, et hi minus inter se consentiant.

Ex eodem hoc libro Chiffletiano varias lectiones editionis Gelenianae, quae Basileae an. 1545. prodiit, exemplari Romae in bibliotheca Barberina exstanti appositas esse, ex hujus bibliothecae catalogo ***) tradiderunt Zoëga ****) et Fabricius *****): at ego, qui illas lectiones quadam ex parte exscripsi, plures earum ab iis, quas ex Chiffletiano in medium contulit Dalecampius, differre, quam cum iis convenire, intellexi.

Cum libris Mss., quos commemoravi, in re summa congruit etiam Vaticanus (N. 3861.); nulli tamen illorum tam est aequalis, ut ex eo hunc transcriptum esse nostro jure possimus contendere: ceteroquin ideo magni aestimandus, quod non tot, quot Riccardianus imprimis, librariorum mendis obsitus est.

Longius autem ab illis recedit codex Burbonicus, quem ex bibliotheca Carbonaria in regiam nuper translatum nimiis profecto laudibus extulit Comes a Turre Rezzonici, qui omnibus eum longe anteponendum judicavit: namque licet lectionum cum ipsius libri tum earum, quae in margine adscriptae leguntur, nonnullae solum hunc librum intuenti arrideant (qua re

---

*) Bibl. Lat. tom. I. pag. 479. not. 9. ed. Ven. **) praef. ad Plin.
) Vol. II. pag. 223. *) l. l. *****) bibl. Lat. l. p. 504.

ego quoque primo deceptus sum, ut aliquid iis tribuerem): tamen, si cum aliis libris Mss. eas comparaveris, videbis eas aut cum vulgata convenire, aut tale quid exhibere, quod haud obscure corruptionis vel correctionis speciem ferat, id quod satis probatur paucis hisce ex eo desumtis.

In libri V. initio, de quo infra agemus, hic codex habet vulgatam lectionem: *Africam Graeci Libyam appellavere, qua mare ante eam Libycum incipiens Aegyptio finitur*: nisi quod pro *Aegyptio* in eo est *Aegypto*. — In ejusdem libri capite 19. sect. 17. pro verbis: *illa Romani imperii aemula, terrarum orbis avida, Carthagine* in eo leguntur haecce: *illam aemulam terrarum urbiumque avidam carthaginem*, in quibus, ut de accusativo casu nihil dicam, id desideratur, cujus aemula sit Carthago, nam *terrarum aemula* dici non potest: — in margine autem: *illa romani imperii orbis terrarum avida*, in quibus vox *aemula* aperte est omissa; *orbis terrarum* enim tanquam appositionem, quam dicunt grammatici, cum vocibus *romani imperii* nemo conjunxerit.

In libro XIX.; ante med. cap. 1.; sect. 2., ubi Harduini editio habet: *et hi casses vel ferri* (*aciem vincunt*), in codice ipso est: *he et asperi*, et in margine: *casse sue asperri*, quorum licet hoc ad lectionem vulgatam propius accedat, utrumque aeque ferme mendosum esse, quisque concedet. Pro verbis *et hi casses vel* veteres editiones exhibent *et hae cassesve*, et codices Mss., Riccard. *et aetas ceu*, Reg. II. *et et asceve:* ex quibus, quoniam in Gratii loco ab Harduino propter plagas Cumanas allato (Cyneg. vv. 35. sqq.) de lino dicitur: *bonis Aeoliae de valle Sibyllae Fetus: et aprico Tuscorum stupea campo Messis* etc., conjiciebam legendum esse *et hae Tuscaeve:* quod tamen, quum mihi ipsi non satis de eo constet sententia, nemini inculcarim. — ibid.; init. cap. 8.; sect. 38. pro verbis: *cum prioris Camelii religio nimia eam negaret*: in margine leguntur haecce: *cum prior esset esca e melle. religio omne caret*, quae ne probum quidem sensum exhibentia originem habere videntur in sequentibus: *ut servari etiam in alienos menses in oxymelite repertum sit.*

In libro XXXV. sub fin. cap. 3.; sect. 6. in ipso libro Ms. legimus: *gaius princeps tollere eas conatus est, libidine accensus, si pictori natura permisisset*, in quibus *pictori* evidenter ex voce *tectorii* corruptum est; et in margine: al. *pontius legatus caii principis eas tollere conatus est libi-*

dine accensus, si tecti natura permisisset, quae ante Harduinum vulgo in editis legebantur et paene omnino congruunt cum iis, quae Falconetius affert ex codice Petropolitano, quem optimae notae libris adnumerandum esse lectoribus studet persuadere; *) in hoc tamen legitur: *Pontius legatus princeps*, quod Falconetius facete vertit: *général-lieutenant.* Dubium autem non est, quin, ut jam Harduinus monuit, verba *Pontius legatus* corrupta sint ex iis, quae in vestutis libris Mss. sunt: *concussegaius.* — ibid. ante med. cap. 10.; sect. 36. 10. in Harduini editione legimus: *Nam cedebat Amphioni de dispositione*, in Burbonico: *nuemphodes* (sic!) *dispositione cedebat*, et in margine: *nec cedebat amphioni* etc., in quibus si pro *nec*, quod hic ferri non potest, scribas *nam*, habes lectionem vulgatam, rejiciendam haud dubie, quia Amphion quidem statuarius apud Pausaniam VI. 3, 2. et X. 15, 4. occurrit, pictor vero nusquam, et libri Mss. Voss. Reg. II. et Riccard. non exhibent hoc nomen, sed *miamphio de dispositione cedebat:* quamobrem Broterius reposuit: *Melanthio de dispositione cedebat*, id quod erit recipiendum, nisi quis ex eodem illo, quem hic vir doctus attulit, Quintiliani loco (Inst. Orat. XII. 10. *Cura Protogenes, ratione Pamphilus et Melanthius, facilitate Antiphilus .... Apelles est praestantissimus.*) huc inducere malit Pamphilum, Apellis praeceptorem, **) vel Antiphilum, ***) quem „Apelli, Protogenique vel etiam Lysippo" comparatum esse refert Silligius in Cat. Artif. s. h. v.; non nimis enim a librorum Mss. lectione recederet, si quis scriberet: *Nam Antiphilo* etc., et bene

---

*) cf. Oeuvres d'Etienne Falconet, Statuaire. Tome III. pagg. 10. sqq. — Liber Ms. Petropolitanus quam non sit tali aestimatione dignus, ex his iisque, quae infra ex eo proferam, affatim apparet: qui autem, quae Falconetius in aliis locis nobiscum ex eo communicavit, paulum consideraverit, facile videbit, sicut in iis, quae locum nostrum antecedunt, pro: *ne ruinis quidem templi concussae* exhibeat ineptam lectionem: *nominis quidem taciti*, quae, apposita litera M., invenitur in Dalecampii editionis margine adscripta: ita eum in ceteris quoque, ubi a vulgata recedat, cum illis lectionibus fere consentire, quibus minime confidendum esse docuit Harduinus in praef. ad. Plin. Nihilo tamen minus iste nullo alio argumento nisi his lectionibus, nisus hunc librum Ms., quem saeculo XV. exaratum esse ipse dicit, ex vetustissimo exemplari statuit transcriptum esse.

) cf. Lib. XXXV. ante med. cap. 10.; sect. 36. 7 et 8. — ibid. cap. 11.; sect. 40. init. *) cf. ibid. sect. 37. init. et sect. 40. 32.

adsumeret particulam *nam:* sed quod Quintilianus dicit, facilitate eum excelluisse, id hanc conjecturam reddit minus probabilem. — In eodem capite, sub sect. 36. finem, pro verbis: *ita ut venustate pauci ei compararentur,* Burb. habet: *ita ut venustate compatatretur,* et in margine: *ita ut vetusta opera pingeret: propter aeternitatem rerum impetuosi animi, et cui pauci compararentur, al. comparentur:* quae et in libris ante Harduinum editis leguntur cum praesente tempore: *comparentur,* et ex libro Ms. Petropolitano afferuntur a Falconetio (l. l. tom. IV. pag. 194.), qui acriter in Harduinum invehitur, quod verba haec rejecerit, quae ipse copiosa adnotatione et miro sane modo ea vertendo tanquam genuina tuetur, manuscripti sui codicis studio ita caecatus, ut, quamvis ex hujus sectionis paragrapho 20. citet verba: *propter aeternitatem rerum,* non intelligat, non haec tantum, sed omnia, quae hic inserta sunt, ex illo loco sumta esse, ubi legimus: *ut Alexandri Magni opera pingeret propter aeternitatem rerum. Impetus animi et quaedam artis libido in haec potius eum tulere.*

Plura ejusmodi afferre longum est; nemo enim, opinor, qui haec legerit, Rezzonicum et Falconetium audiens dolebit, quod tam pauca ex his libris Mss. nobis cognita sint.

Majoris utique momenti sunt codicis rescripti Pliniani licet paucae tantum schedae, quas literis uncialibus scriptas, formae mediae (in 4to), in libro Ms. Divi Ambrosii orationes partim ineditas continente, Romae in monasterii sanctae Crucis Hierosolymitanae bibliotheca vidi, sed ut diligentius excuterem mihi non contigit. Postquam enim a compluribus viris doctis hac de re admonitus saepius frustra in monasterium illud ad urbis moenia situm me contuleram, pridie demum, quam Neapolim profectus sum, offendi bibliothecae praefectum, qui cum summa quidem comitate mihi promsit, quem volui, codicem Ms., simul tamen me fecit certiorem, a superioribus cautum esse ne iterum quisquam Plinii verba in hoc libro ad lucem revocare conaretur, quoniam se absente aliquis rei non satis gnarus, qui ejusmodi periculum fecisset, nihil commodi inde consecutus, nisi quod ex paucis verbis hoc fragmentum ad illius scriptoris Nat. Hist. libros XXIII. et XXIV. pertinere conjiceret, plures codicis paginas caeruleo colore obduxisset, ita ut quae supra scripta essent difficillima nunc essent lectu. Quod quum meis oculis viderem, nihil habui quod contra dicerem: re infecta igitur hunc librum accuratius perscrutandi cupiditatem reprimens debui redire.

Permultos praeterea inferioris aetatis libros manu scriptos inspexi, in quibus, quum plus minus omnes a librariis vel a correctoribus depravatos Plinii opus in integrum restituturo eos haud magnam opem fore laturos intellexissem, studium meum collocare nolui. — Paulo alia est codicis saec. XV. exarati, nitidissimi, ex monasterio Pollingensi Monachium in bibliothecam regiam deportati conditio, in cujus fine legitur:

„Laus Deo, C. Plinii Secundi Naturalis historiae volumen ab optimo exemplari editum. Quod emendatum fuit per praeclarissimos viros Guarinum Veronensem et Thomam de Vincentia Guilielmo Capello coadjutante. Anno domini . . . CCCCLIX.

Nonis Septembris Explicit.

Andreas de Caligis Notarius."

Ex duplici fonte hoc exemplar fluxisse manifestum est: nam libro primo omisso secundus in eo inscribitur primus, et qui eum sequuntur libri usque ad duodevicesimum ita numerantur, ut hic sit septimus decimus, ante unumquemque aut argumenti et auctorum indicibus adscriptis, aut spatio ad eos inserendos vacuo relicto: libro vero undevicesimo, quasi adesset liber primus, praescripta sunt haecce: *Plinii historiae naturalis liber XVIII. explicit. Incipit liber XIX.*, eademque ceteris libris, apposito suo cuique numero, usque ad tricesimum septimum sive ultimum. Lectionum ratio in utraque parte non magnopere differt: posterior tamen, ni fallor, paulo emendatior est, licet haec quoque amanuensium negligentia ita foedata sit, ut quae probandae in ea inveniantur lectiones, ceu gemmae in luto quaerendae sint: tamen, si quis ceterorum illius aetatis exemplarium instar hunc librum Ms. percenseret, operae pretium eum facturum esse ratus, Sillígii V. D. voluntati obsequens tum ipse per nonnullos libros lectiones cum editis discrepantes ex eo exscripsi, tum familiares quosdam meos adduxi, ut hac in re auxilio me juvare promitterent, ex quibus Carolus Pleitnerus jam hunc laborem suscepit. — Sed quae spes ad Plinium librariorum mendis liberandum de hoc, sicut de ceteris, quos persecutus sum, codicibus Mss. habenda sit, nunc singulis quibusdam locis pertractandis demonstrabo.

In libri V. initio in editis libris legimus:

Africam Graeci Libyam appellavere, qua mare ante eam Libycum incipiens Aegyptio finitur.

Quae ne in novissima quidem editione Parisiensi emendata esse miror, quum Viro Docto, qui secundam hanc ejus partem Geographiam continentem (qua Hasii V. Cl. me auxit liberalitas), curavit, meliora non ignota fuisse ex notis eluceat. Quoquo enim modo haec verba explicare tentaveris, summis difficultalibus te videbis implicitum. Si vero aliquem inde eruere velis sensum, ita ea debes intelligere, ut iis significari statuas haecce: *Africam Graeci Libyam appellavere,* ab ea parte, *qua mare ante eam Libycum incipit,* usque ad eam, qua *Aegyptio finitur,* qua ferme ratione Grossius hunc locum in vernaculam linguam convertit, qui tamen pro *Aegyptio* legens *Aegypto*, sic ultima verba intorsit: „usque ad eam, qua finitur, i. e. apud Aegyptum.“ — Quo minus aliud quid eliciamus, ut: *qua mare ante eam Libycum* a Gaditano freto *incipiens Aegyptio finitur,* quod referendum esset ad regionem, quae *Mareotis Libya appellatur, Aegypto contermina* (ut noster dicit h. l. cap. 6. sect. 6. init.), nos prohibet, et quod dicere non possumus, Libyam appellari regionem, quae sit in fine ejus maris, quod ab ea nominatum sit Libycum: et quod nominis Libyae vis ea, qua Mareotin Libyam, τὴν ἰδίως Λιβύην significet, Graecorum non est propria, sed illa latius patens, qua τὴν ὅλην Λιβύην amplectatur: praeterquam quod hic in initio libri de Africa universa, non de parte aliqua, sermonem esse per se est verisimile. — Sed illud quoque quomodo defendi possit, equidem nescio. Qui enim scriptor, quaeso, unquam tot, quot ad supplendam sententiam hic addenda essent, verba suppresserit, dixeritve terram aliquam in tantum se extendere, in quantum mare, quod, ut jam monui, ab ipsa nomen acceperit? Deinde Africae nomine praemisso nonne haecce omnino sunt otiosa et sermonem obscurant potius quam illustrant?

Ad libros igitur manu scriptos nos convertamus oportet, quorum ope nodus facillime expeditur, quum in eorum vetustissimis pro iis, quae hunc locum vexatissimum reddunt, verbis, *qua* et *incipiens,* legatur particula *et.* — In sequentibus de eo ambigi possit, num scribendum sit *Aegyptio,* quod in Parisiensibus et in Riccardiano est, an *Aegypto,* quod ex codicibus Mss. affert Pintianus, et ego in quibusdam recentioribus vidi libris Mss. Sed quamquam illud *Aegyptio* commendatur etiam Strabonis loco: (lib. II. pag.

84. ed. Casaub.) *Καλοῦσι δὲ τὸ πρὸς τῇ Λιβύῃ πᾶν μέρος τῆς θαλάττης ταύτης (τῆς μέχρι τοῦ Σικελικοῦ πορθμοῦ) Λιβυκὸν πέλαγος.... Μετὰ δὲ τὴν Σικελίαν... τὸ μὲν πρὸ τῶν Σύρτεων καὶ τῆς Κυρηναίας καλεῖται Λιβυκόν· τελευτᾷ δ'εἰς τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος*, et *Aegyptium mare* etiam alias occurrit apud nostrum, *) nec quae sequuntur: *Nec alia pars terrarum pauciores recipit sinus* etc. huic lectioni adversantur: ego tamen hoc praetulerim, quia si illud reciperemus, in sententia: *Aegyptio finitur: nec alia pars terrarum pauciores recipit sinus* sqq. subjectum, quod dicimus, primarium esset mare Libycum, sequentia vero: *Populorum ejus* etc. ad Africam essent referenda: qua ratione laederetur concinnitas sermonis.

Sin quis quaerat, quomodo hic locus ita potuerit corrumpi, ei respondemus: Fortasse quis ad libri quarti initium respiciens, ubi legimus: *Tertius Europae sinus Acroceraunis incipit montibus: finitur Hellesponto,* in margine hic adscripsit: *qua incipiens?* sc. Africa Aegypto finitur: quae deinde librarius aliquis in eo, quo nunc sunt, loco collocavit. Qua parte autem incipiat Africa, id noster, ut lib. III. praef.; sect. 1. dicit: *Origo ab occasu Solis et Gaditano freto*, ita in hoc ipso loco indicat verbis: *longo ab occidente litorum obliquo spatio*, et: *Principio* **) *terrarum Mauritaniae appellantur.*

Libro VI.; post med. cap. 23.; sect. 26.

A Copto camelis itur aquationum ratione mansionibus dispositis. Prima appellatur Hydreum, XXXII. mill. Secunda in monte diei itinere. Tertia in altero Hydreumate, a Copto XCV. mill. Deinde in monte. Mox ad Hydreum Apollinis, a Copto CLXXXIV. mill. passuum. Rursus in monte. Mox ad novum Hydreum a Copto CCXXXIII. mill. pass. Est et aliud Hydreum vetus, Troglodyticum nominatur, ubi praesidium excubat diverticulo duum millium. Distat a novo Hydreumate IV. mill. passuum.

Haec est recentiorum editionum lectio, prolata ab Harduino, in cujus notis legimus: „*Hydreum.*] Ita libri omnes Mss. Editi, *Hydreuma,* minus recte.' Est enim ὑδρεῖον locus aquationis: ὕδρευμα ipsa aquatio. Vide Strabonem, lib. 15. pag. 722 (ed. Casaub. p. 496.) πόῤῥω δὲ τῶν ὑδρείων

*) cf. lib. II. cap. 68.; sect. 68. — lib. V. cap. 9.; sect. 10. — ibid. cap. 10. init.; sect. 11. **) ita legitur etiam in vetustis libris Mss.

ἐςρατοπεδεύοντο etc." et: „*Ad novum Hydreum.*] Ita libri omnes, ut ante monuimus. Tamen Antonini Itinerarium, *) *Caenon Hydreuma*, hoc est *καινὸν ὕδρευμα*. Tabula Peuting. *Ceonnidroma* pro *Caenon Hydreuma*." — quae fere eadem reperias in Plinianis Exercitationibus Salmasii, **) qui multa de nominibus *Hydreum* et *Hydreuma* disputavit, non tamen rem ad finem perduxit. Monens enim in Solini codicibus (quibus accedunt duo Monacenses, alter saec. XII., alter saec. XIII.) esse *Hydreum*, allatis compluribus Strabonis locis dicit primum: „*Hydreum* est *ὑδρεῖον*, *locus aquationis*. *Ὕδρευμα ipsa aquatio*." deinde: „*Ὑδρεῖον* est *aquarium*; *ὕδρευμα ipsa aquatio*." denique: „*Ὑδρεῖον* igitur est *locus aquationis*, *ὑδρεία ipsa aquatio*, *ὕδρευμα ipse aquandi actus*." — nullum vero exemplum profert, quo has vocis *ὕδρευμα* significationes demonstret: immo addit: „Graeci posteriores *τὸ ὕδρευμα* etiam dixerunt pro loco, in quo erat aquatio. Auctor peripli maris Erythraei: „*Ὄκηλις οὐχ οὕτως ἐμπόριον ὡς ὅρμος καὶ ὕδρευμα καὶ πρώτη καταγωγὴ τοῖς εἴσω διαίρουσιν*. Idem post paulo: *Κώμη παραθαλάσσιος ὅρμους μὲν ἐπιτηδείους καὶ ὑδρεύματα γλυκύτερα καὶ κρείσσω τῆς Ὀκήλεως ἔχουσα*. Ita accipienda vox *ὕδρευμα* et apud Ptolemaeum lib. I. cap. 10. *καὶ τὸν ἑκάςης ἡμέρας ςαδιασμὸν αὐτοὺς φησιν ἐκτεθεῖσθαι τοὺς ὁδεύσαντας πλεονάκις, οὐκ ἐνδεχόμενον ὂν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀναγκαῖον διὰ τὰς τῶν ὑδρευμάτων ἀποχάς*." — Stephani thesaurum linguae Graecae si adieris, nihil proficies, nam *ὑδρεῖον* in eo dicitur esse „i. q. *ὑδρία* per *ι*, sc. vas, quo *ὑδρεύομεν* s. *ὑδρευόμεθα*;" *ὕδρευμα* vero ex nostro loco dicitur significare *aquationum ratione dispositam mansionem*. — Sin vocis *ὑδρεῖον* usum apud Strabonem diligentius consideraveris, videbis, ut in locis a Salmasio allatis, ita in aliis, ***)

---

*) pag. 173. ed. Wesseling., qui ibi dicit: „Quin Plinii *Hydreum* probum sit, nulla est dubitandi causa, nec tamen ob Harduini allatam rationem, qua *hydreum* locum aquationis, *hydreuma* ipsam aquationem esse ait; certum enim est *hydreuma* pro ipso aquationis loco etc.," quae quid sibi velint, fateor me non intelligere. **) pag. 1183. sq. ed. Paris. 1629. — pag. 833 sq. ed. Traj. ad Rhen. 1689. — Rectius ibi ex tabula Peuting. affertur *Cenonnidroma*: cf. ed. Acad. Monac. Segm. IX. D.; in qua legitur *Cenonnydroma*.

***) cf. Strab. Geogr. Lib. XV. pag. 496. (ed. Casaub.) vss. 16. 19. 55. et 57. — Lib. XVI. init., pag. 507. vs. 35. — pag. 515. vs. 8. — pag. 532. vs. 7. — pag. 538. vs. 20. — Lib. XVII. pag. 561. vs. 4. — pag. 575. vs. 46.

significare modo aquarium, modo aquationis locum, et de ipsis his aquariis inter Coptum et Berenicen sitis illum dicere: (lib. XVII. pag. 561. init. ed. Casaub.): *πρότερον μὲν οὖν ἐνυκτοπόρουν πρὸς τὰ ἄστρα βλέποντες οἱ καμηλέμποροι καὶ καθάπερ οἱ πλέοντες ὥδευον, κομίζοντες καὶ ὕδωρ· νυνὶ δὲ καὶ ὑδρεῖα κατεσκευάκασιν, ὀρύξαντες πολὺ βάθος· καὶ ἐκ τῶν οὐρανίων, καίπερ ὄντων σπανίων, ὅμως δεξαμενὰς πεποίηνται.* — licet ejus vis latius pateat, ita ut ipsam aquam significare videatur lib. XVI. pag. 537. l. 31. *εἰς γοῦν τὴν Λευκὴν κώμην κατῆρεν, ἤδη στομακάκκῃ καὶ σκελοτίρβῃ πειραζομένης τῆς στρατείας, ἐπιχωρίοις πάθεσιν ... ἔκ τε τῶν ὑδρείων καὶ τῶν βοτανῶν.* — Similis in peripli illo: *ὑδρεύματα γλυκύτερα* videtur esse potestas voci *ὕδρευμα*, quam vero aquationis locum etiam significare, ipse Salmasius concessit.

In nostro igitur loco, si ad significationem respiciamus, et *Hydreum* quidem recte se habet, et *Hydreuma:* at unum alterumve ubique erit reponendum: nam quomodo fieri potest, ut in primo loco *Hydreum* dicatur, deinde *in altero Hydreumate?* et de una eademque mansione modo: *Mox ad novum Hydreum,* modo: *Distat a novo Hydreumate?* Adhibitis libris Mss. liquet, quoniam, ubi ablativus casus est, in omnibus legitur *hydreumate* vel, ut in Mònacensi, *hydromate,* de recipienda voce *Hydreum* amplius non posse cogitari, ita ut in nominativo quoque et accusativo casibus scribendum esset *Hydreuma* vel invitis codicibus Mss.: hos vero huic formae magis quam alteri suffragari, si diligentius eos inspexeris, tibi persuadebis. Regius enim II. et Riccard. exhibent: *appellatur Hydreuma XXXII. mill.* et: *Hydreuma vetus*, in omnibus autem aliis locis, ubi *Hydreum* legimus, ob sequens *a* haec litera in fine hujus nominis facillime potuit intercidere. Accedit veterum monumentorum, quae ex Salmasii libro Harduinus citavit, auctoritas. Quidni ergo omnium editionum veterum lectionem *Hydreuma* per totum nostrum locum restituamus?

Lib. XVII. cap. 4.; sect. 2. in fine.

Similis et in maritimis causa. Quibusdam locis afflatus maris noxii, in plurimis iidem utiles: quibusdam satis aspicere maria jucundum: propius admoveri satis halitum, inutile.

Minus concinna esse haecce: *Quibusdam locis... noxii* et: *in plurimis... utiles*, quod Plinius etiam cum adjectivo *utiles* dativum conjungere poterat et ex more suo debebat, id nemo non intelliget: attamen nullus dum edi-

torum de hoc loco consuluit libros Mss., qui primo quidem aspectu minus blandientem, sin leve librariorum mendum sustuleris, optimam lectionem nobis suppeditant. Habent enim omnes, quorum lectiones in hoc libro enotavi, Regius II.; Vaticanus et Monac.: *in plurimis iidem aiunt*, id quod, si scribas: *in plurimis iidem alunt*, Plinii usui dicendi maxime convenit.

Plantae enim, *fructus* et similia saepius ab eo *ali* dicuntur *aquis, nebulis*, aliis: Lib. XIV. cap. 2. sub fin; sect. 4. 6. *Quin immo nebulis una* (vitis spionia) *alitur.* — Lib. XVII. cap. 2.; sect. 2. *Ergo humor... velut ex ubere alit omnia, quae non inundat.* — ibid. cap. 9.; init. sect. 5. *Sunt, qui pulvere quoque uvas ali judicent.* — ibid. cap. 13.; sect. 21. in fine. *Tradunt faece vini aut e parietibus latere tuso mire ali.* — ibid. cap. 28. init.; sect. 47. *Salsis... aquis aluntur* (palmae et lentisci). — Lib. XVIII. cap. 13. init.; sect. 34. *Nebulis et pruinis ac frigore ultro aluntur* (rapa). — ibid. cap. 22; sect. 51. *Palmae... subditur olea, huic ficus, fico Punica, . . . omniaque ea aliena umbra aluntur.* — ibid. in fine cap. et sect. *Sed illas* (herbas) *in aqua nascentes certum est non nisi imbribus ali.* — Lib. XIX. post med. cap. 5.; sect. 26. *Praecipue tamen salsis aluntur* (raphani). — ibid. ante med. cap. 8. sect. 41. 3. *si frigora non tolerat: quibus etiam aluntur Brutiani* (caules). — ibid. cap. 11. sect. 59. *Peculiaris medicina raphano, betae, rutae, cunilae in salsis aquis, quae et alioqui suavitati et fertilitati conferunt . . . Praecipue tamen imbres alunt.* — Lib. XXIII. praef: sect. 1. *Non cessit his Pomona . . . non contenta protegere arborumque alere umbra, quae diximus.* — Compluribus etiam in locis verbum *alere*, opponitur verbis quae *noxii* notionem contineant: Lib. XIV. cap. 2. init. sect. 4. 1. *Ex iis* (uvis gemellis) *minor austro laeditur, ceteris ventis alitur.* — Lib. XVII. cap. 26. init.; sect. 39. *Quin etiam* (cupressus) *necatur riguis: et vitis et Punicae praecipue aluntur. Ficus arbor ipsa riguis alitur, pomum vero ejus marcescit.* — ibid. sect. 41. *Herbae aqua illa necantur, fruges aluntur.* — Nec magis potest offendere, quod nullum additur nomen substantivum in casu accusativo positum, quum eodem modo in loco, quem supra attuli, dicatur: *Praecipue tamen imbres alunt*, et Lib. XVIII. cap. 1. sect. 1. *quanto fertilior* (naturae majestas) *in iis, quae juvant aluntque.* — Lib. XXVIII. cap. 9. sect. 33. *Maxime autem alit quodcumque* (lac) *humanum*, et paulo infra: *Ovillum dulcius et magis alit.* — Lib. XXIX. cap. 3. med.;

sect. 11. sub fin: *Nullus est alius cibus, qui in aegritudine* ***alat*** *neque oneret. Utiles* vero ex glossa ortum esse manifestum est.

Infra in verbis: *propius admoveri satis halitum inutile* me offendit et repetitio vocis *satis*, et illud *halitum* tam nude positum: hoc enim vocabulum, ubi nihil additur, fere significat *halitum oris*, ut Lib. XII. cap. 3. sect. 7. in fine: *commendandi* ***halitus*** *gratia.* — Lib. XXIII. post med. cap. 4.; sect. 48. *Oris et* ***halitus*** *suavitatem commendat linguae subditum* (malobathri) *folium.* — Lib. XXVIII. extr. cap. 4.; sect. 14. *Mero... colluere ora propter* ***halitus.*** — ibid. extr. cap. 12. sect. 53. *et a pulmone graveolentiam* ***halitus*** *butyrum efficacissime juvat.* — Lib. XXX. cap. 6. init.; sect. 15. *Virus tamen earum gravitatem* ***halitus*** *facit.* — Contra adjicitur *terrae*: Lib. XI. cap. 12.; sect. 12. in fine: *obvio* ***terrae halitu*** *infectus.* — ibid. cap. 28.; sect. 27. init.: *florem imbribus decussum* ***terrae halitu*** *animante.* — Lib. XXXI. cap. 3. init.; sect. 21.: *quum* (pluvia aqua) *cadens... inficiatur* ***halitu terrae.*** — et *maris*: ibid. cap. 6. sub fin.; sect. 37. *Expansa circa navim vellera madescunt accepto* ***halitu maris.*** — Simile quid in nostro loco est in Vaticano et Monacensi, qui exhibent *salis halitum,* quod non minus dici potest, quam *halitus cadi* (Lib. XIV. cap. 22. med.; sect. 28.), ita ut opponatur halitui dulcis aquae eodem modo, quo ***sal*** opponitur ***haustui dulci***: Lib. VI. cap. 17.; sect. 19.: ***Haustum*** *ipsius maris* ***dulcem*** *esse et Alexander Magnus prodidit . . . magnitudine haud dubie influentium amnium victo* ***sale.*** — Quae quum ita sint, ego scribendum esse censeo: ***salis*** *halitum.*

Lib. XVIII. cap. 5.; sect. 6.

Idemque Cato interrogatus, quis esset certissimus quaestus, respondit: si bene pascas. Quis proximus? Si ***mediocriter pascas.***

Ita in Harduini ceterisque editionibus hic locus constitutus est: id quod iis, quae ille ex Columellae de re rustica libri VI. praefatione attulit, commendatur. At in libris Mss., Vaticano, Reg. II. et Monac. pro verbis *si mediocriter pascas* est: *sit. at bene.* — Mihi hoc legenti primo in mentem venit: *si ares bene*, de qua conjectura omnem dubitationem tollere videtur Isidorus Hispalensis, qui (Orig. XVII. 2.) *Divitiae antiquorum,* inquit, *in iis duobus erant,* ***bene pascere*** *et* ***bene arare.*** — Attamen ea non est probanda. Cicero enim, (Off. II. cap. 25. §. 89.) dicit: *Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis, a quo quum quaereretur,*

quid maxime in re familiari expediret, respondit: Bene pascere. Quid secundum? Satis bene pascere. Quid tertium? Male pascere. Quid quartum? Arare. — Ex quibus nostrum locum sic restituimus: *Respondit, si bene pascas. Quis proximus? Si satis bene,* sc. pascas. — Namque voculae *si satis,* quum *satis* nonnunquam inveniatur per compendium scriptum: *sat',* facile abire potuerunt in *sit. at.*

Lib. XVIII. cap. 16.; sect. 43.

Verno seri debent liberarique ceteris herbis: ad trimatum, etc.

Harduinus ad haec verba, quae in Broterii editione omissa sunt, adnotavit: „*Verno seri.*] Ita etiam Mss. sed *sarriri* malim." — id quod jam ante eum legendum esse arbitrabatur Pintianus (cf. ed. Lugd. Bat. an. 1669. vol. II. pag. 458.). Harduinus, si libros Mss. Parisienses diligentius excussisset, conjecturam suam a Regio II. vidisset comprobatam, in quo legitur: *Verno sarri debet.* Quam ob rem dubium esse non potest, quin verbum *sarriri,* quod nostro loco unice esse accommodatum quisque videt, recipiendum sit.

Lib. XVIII. cap. 30.; sect. 72.

Maturius desectus (culmus) *muria diu respersus, dehinc siccatus in manipulos convolvitur.*

Pro verbis: *muria diu respersus* in codicibus Mss. sunt haecce: in Reg. II. *moriatur aspartus,* in Monac. *muris adurit partus,* in Vatic. *muria duros partus.* In lectione vulgata vocula *diu,* quae quidem, si, ut in exemplo infra allato *die et nocte,* cum verbo *macerare* esset conjuncta, bene se haberet, cum participio *respersus* haud convenit. Idcirco scribas: *muria dura sparsus.*

Muria dura apud nostrum quidem non occurrit: sed apud Celsum, lib. IV. 9. *edenda sunt salsamenta vel oleae ex muria dura.* — ibid. lib. IX. 15. *portulacam vel coctam vel ex dura muria edisse.* — et apud Columellam, de re rustica lib. VI. cap. 30. in fine: *deinde alvum marina aqua vel muria dura lavare.* — ibid. lib. XII. cap. 4. in fine, *maxime autem ad hoc* (ad salgama facienda) *necessarium esse aceti* et *durae muriae usum.* — ibid. cap. 6. *Muriam duram sic facito.* — ibid. cap. 7. *superfusa dura muria lavantur.* — et infra: *Sunt qui rutam muria tantum dura sine aceto condiant.* — ibid. cap. 9. *ut faseoli virides integri interponantur, quos ipsos ante dura muria die et nocte macerare oportebit.* — Non igitur est, quod illi hanc dictionem vindicare dubitemus.

Conferas de ea Salmasii Exercitt. Plinn. ad Solin. cap. 27.; p. 244. b. G. (ed. Traj. 1689.) „In aceto et muria τὸ εὔτονον καὶ τὸ δριμύ Latini vocant durum . . . Sic dura muria, ἡ δριμεῖα ἅλμη, acerrima et salsissima.“ Verbum *respergere* per se non offendit, (nam ut saepius apud nostrum, ita in sequenti sectione id legimus in verbis: *alii qui lentem aceto laserpitiato respergant)*: sed quum *sparsus* propius ad id accedat, quod libri Mss. exhibent, nemo non hoc verbum simplex hic praetulerit, quod eadem ratione alias a nostro usurpatur, ut: Lib. XIII. cap. 3.; sect. 4. *spargi parietes balinearum unguento.* — Lib. XVII. cap. 27. in fine; sect. 47. *cacumina spargi vino lasere diluto.* — Lib. XXI. cap. 27.; sect. 99. *Eadem... sparsa vino tumores siccat.* — Lib. XXV. cap. 13. in fine; sect. 110. *vino vetusto sparsa.* — et Lib. XXXIV. cap. 11.: sect. 26. *Alii delimatam aeris scobem aceto spargunt.*

Lib. XVIII. cap. 32.; sect. 75.

Supra terram autem erit (Luna) *quamdiu et Sol interlunio et prima tota die: secunda horae unius dextante sicilico.*

Pro illo *horae unius* scribendum est *horae noctis unius*, flagitante sensu, praesertim quum et in antecedentibus dicatur: *Quoties . . . prioribus . . . noctis horis lucebit, crescens erit*, et: *Quoties . . . prioribus... noctis horis detrahet lumen, . . . decrescens erit*, et in sequentibus: *Decima sexta ad primae horae nocturnae dextantem sicilicum sub terra aget.* — In Dalecampii aliisque editionibus vox *noctis* legitur: libri Mss. exhibent: Reg. II. *hora noctis unius distantes illico*, Vat. *hora noctis unius distante sicilico*, Monac. *hora noctis unius testante silico*, ita ut, qui eam omittat, nihil habeat, quo innitatur. Nihilo tamen minus Broterius vitiosam hanc lectionem ex Harduini editione in suam transtulit.

Lib. XIX. cap. 6.; sect. 34. in fine.

Allium est et in arvis sponte nascens, alum hoc vocant: quod adversus improbitatem alitum depascentium semina coctum, ne renasci possit, abjicitur: statimque quae devoravere aves, stupentes manu capiuntur: et si paulum commovere, sopitae.

Vulgatam lectionem, *et si paulum commovere*, ferri non posse apparet: si enim aves, quae allium devoravere, non nisi stupentes manu capiuntur, eae, quae id paulum commovere, non possunt sopiri, quum ad hoc efficiendum vehementiore impulsione opus sit: tum etiam, si legitur *commovere*,

languet illud *statim*, cui nihil commodius opponitur, quam, quod ad illius lectionis similitudinem proxime accedit, verbum *commorari*. Non autem scribere possumus: *si paulum commorentur*, ut vult Harduinus, quoniam aves stupentes avolare non possunt, ideoque coguntur commorari, ita ut sententiae cum conditione prolatae, *si commorentur*, locus non sit. Eodem argumento, si ejus indigeremus, refutare possemus lectionem: *si paulum commoravere*, quam Dalecampius recepit, et Schellerus in Lexico s. h. v. aliqua ex parte defendit: sed nemo, opinor, activam verbi *commorari* formam adsciscet, quam Priscianus non, ut Schellerus tradit, usitatam esse refert, sed lib. VIII. (pag. 94. vso. ed. Ald.) tantum commemorat, ubi dicit: *Praeterea plurima* (verba) *inveniuntur apud vetustissimos, quae contra consuetudinem vel activam pro passiva, vel passivam pro activa habent formam.* — Omnem vero difficultatem removet id, quod exhibet Colbertinus I., *si paulum commorere*: quod si recipiamus, totius loci sensus est: „Si aves devoravere allium, statim stupent, itaque manu eas capere potes, sin paulum exspectaveris, id majore cum facilitate assequeris, quia tum somno erunt oppressae.“ — Unum, quod offendere possit, hoc est, quod passivae formae personam tertiam, *capiuntur*, sequitur deponentis verbi persona secunda, qua Plinius raro tantum uti solet in pronuntianda sententia universali, in qua nos pronomen man usurpamus: namque fere utitur vel passiva forma, ut Lib. XXVI. ante med. cap. 12.; sect. 76. in fine. *Lichen herba* (sudores felleos movet) *si, cum sumitur, cetere olere abstineatur*, vel, praesertim in oratione, quam dicimus, obliqua, pronomine *aliquis*, ut Lib. XXXI. ante med. cap. 9.; sect. 45. *Ajunt dentes non erodi, . . . si quis quotidie mane jejunus salem contineat sub lingua.* Cujus rei si quis plura desideret exempla, ubique apud nostrum ea potest invenire. Harum autem dicendi formularum prior hic omnino non potuit adhiberi, quum *commorari* sit verbum deponens, altera vero non tam apte, quam persona secunda, quia tale praeceptum, quale verbis *si commorere* dat noster, sic fere quasi ad certam quandam personam dirigitur: ut hic ipse dicit Lib. XVIII. cap. 5.; sect. 6. *Si bene pascas.*

Cum hoc loco rite comparetur alius, Lib. XXX. cap. 12. sub fin. (in aliis edd. post med. cap. 14.); sect. 44. *Item araneus, qui filum deducit ex alto, capi debet manu cava tritusque admoveri: quod si redeuntem prehenderit, inhibebit idem purgationes.* — Harduinus in interpre-

tatione dicit: „Quod si remeantem in sublime araneum manus apprehenderit:“ eaque profecto unica est hanc sententiam, ut nunc est, explicandi ratio; sed nimis est artificiosa: quamobrem dubito an in hoc quoque loco secunda persona reponenda sit, quippe quae cum tertia in libris Mss. saepius confundatur, hic vero ob sequens *inhibebit* facillime potuerit mutari, et in Dalecampii editionis margine legatur, apposita litera V., quas quidem lectiones Harduinus (in praef. ad Plin.) in aequo ponens iis, quae ibi litera M. signantur, „non aliud, ait, jure videri quam eruditi cujuspiam unius alteriusve ad oram libri appositas conjectationes.“ Codices, quos ego perlustravi, exhibent: Riccard. *prenderet* (superscriptum est *i*), Reg. II. *prenderet,* Monac. *previderit:* quae omnia aperte sunt corrupta.

Lib. XX. cap. 1.; sect. 3. in fine.

Sic et contra phthiriasin bibitur: et hydropises.

In Harduini notis legimus: „Mss. omnes *hydropicis.* Sed *hydropises* legi structura orationis jubet.“ — At vox *hydropisis* raro apud nostrum occurrit, et semel tantum numero plurali, lib. XX. cap. 5. in fine; sect. 20. *contra incipientes hydropises.* Vox *hydropici* vero saepissime invenitur: et verborum structura ea, qua eidem verbo variis modis, quae ad id pertineant, adnectantur, praesertim si, ut in nostro loco nominum appositorum alia significent morbos ipsos, alia homines morbis laborantes, apud eum nihil est frequentius, ita ut omnino non intelligam, cur Harduinus eam damnaverit. Quod ut demonstrem, afferam pauca tantum ex hujus libri parte priore: cap. 5. init.; sect. 15. *Radicem ejus* (pastinacae) *Dieuches contra jocineris . . . vitia . . . dari jubet. Cleophantes et dysentericis veteribus.* — ibid. sub fin.; sect. 20. *Coctas* (caepas) *dysentericis vescendas dedere, et contra lumborum dolores.* — cap. 6. init.; sect. 21. *Sanguinem . . . exscreantibus* et *phthisicis, distillationibus longis, vel succus, vel ex ipso* (porro) *cibus prodest. Item morbo regio vel hydropicis. Et ad renum dolores.* — cap. 7. sub fin.; sect. 26. *Dantur* (lactucae sativae) *coeliacis..., et ad duritiam praecordiorum. Dantur et melancholicis . . ., et ad vesicae vitia.* — Praeterea si *hydropises* scribas, verbo *bibitur* interposito et distinctione majore facta, praepositio *contra* non commode ex superioribus ad hanc vocem refertur. Minime igitur librorum Mss. lectio: *hydropicis,* est deserenda.

Lib. XXIV. cap. 10. med.; sect. 47.

Flos cujuscumque generis trium digitorum captu dysentericos et alvum etiam emendat.

Non est quod illud *alvum* prae ceteris efferatur apposita particula *etiam*, quam frustra quaeras in codicibus Mss. Regius enim I. exhibet *et alvum citum*, Reg. II. *et alvum citamen*, Monacensis *et alvum citam.* — *Alvus cita*, ut saepius apud nostrum inter morbos commemoratur, ita prorsus eodem modo atque in hoc loco una cum voce *dysenterici* occurrit: Lib. XXVII. cap. 4. med.; sect. 6. *Usus radicis* (alceae) *ex vino vel ex aqua dysentericis et alvo citae.* Hoc vero morbi nomen cum verbo *emendare* melius quam solam vocem *alvus* conjungi nemo non videt. Quid ergo obstat, quominus vocula illa rejecta codicis Monacensis lectionem a reliquis sustentatam amplectamur?

Lib. XXIV. cap. 10. sub fin.; sect. 49. init.

Cissos erythranos ab iisdem appellatus similis ederae, coxendicibus utilis e vino potus: item lumbis. Tantam vim acini ajunt, ut sanguinem urina detrahat . . . Smilax quoque, qui et nicophoros cognominatur, similitudinem ederae habet, tenuioribus foliis.

Ita Harduinus hunc locum edidit, in notis adjiciens: „*Tantam vim acini ajunt.*] Nos ita e conjectura emendavimus, cum prius insulse legeretur, *Tantamque vim accipiunt.*“ — Pro his verbis Regius I. et quatuor Gronovii codices exhibent: *tantam vim accipiant*, omissa particula *ut*, quae in editis sequitur: Vossianus vero, Regius II. et Monacensis: *tantam vim accipi ut*, ex quibus Gronovius conjecit: *tantam vim acini, ut.* Harduinus ad accusativum casum in vocibus *tantam vim* explicandum inseruit *ajunt*: id quod omnino improbandum est. Nam saepissime quidem id verbum apud Plinium legitur: nusquam vero, ut in hac Harduini conjectura, nullus cum eo conjungitur infinitivus. Ad librorum Mss. lectionem si respicias, nihil invenias, unde illud *ajunt* possit erui: non dubito igitur, quin ejiciendum sit, praesertim quum nimis brevi intervallo sequatur: *ajunt capitis doloribus mederi*, et lenissima mutatione ex ipsis codicibus Mss. hic locus ita possit corrigi, ut omnia optime se habeant. Illo enim casu accusativo, qui in libris Mss., ut notum est, scribitur *tantā vi*, secundum haec exempla: Lib. XX. ante med. cap. 18.; sect. 76. *non vi soporifera modo, verum . . . etiam mortifera.* — Lib. XXIV. cap. 12. sub fin.; sect. 67. *vi summa*

ad spissandum refrigeradumque est. — Lib. XXV. cap. 7. init.; sect. 33. *vi summa in refrigerando.* — Lib. XXXIV. cap. 15. in fine; sect. 46. *maxime simili, sed acriore vi, quam rubigo.* (ut jam Pintianus voluit, qui arbitrabatur scribendum: *tanta vi, ut*), commutato cum casu ablativo, et ex Gronovii conjectura, cui suffragatur locus simillimus Lib. XVI. cap. 34.; sect. 62. sub fin. *quoniam aliis tanta amaritudo acini, ut aves non attingant.* pro verbo *accipi* recepta voce *acini*, ita ut legatur: *tanta vi acini, ut:* nihil, quod offendat, relinquitur. — In sequentibus unde in libros editos venerit illud: *qui et nicophoros*, equidem nescio, quum in nullo eorum, quos excussi, codicum Mss. id inveniatur. Finitima ei est Regii I. lectio: *quia intophoros*: sed Regius II. exhibet *qui antophoros*, Monac. *qui antoporos*, quibus accedit Chiffletianus, qui habet *qui athophoros.* — Vox *nicophoros*, sive a *νίκῃ*, sive a *νεῖκος* eam velis derivatam, nullam in lingua Graeca habet auctoritatem. Priori illi rationi praeterea officit, quod de edera quidem legimus Lib. XVI. cap. 34. init.; sect. 62. *Alexandrum... ita coronato exercitu victorem ex India rediisse*: smilax vero dicitur ibid. cap. 35.; sect. 63. *infausta omnibus sacris et coronis.* Quod Dioscorides refert lib. IV. cap. 142. (144.), smilacem asperam a nonnullis vocari *ἀνίκητον*, id nemo afferet ad lectionem illam sustentandam: potius enim propter ea, quae ibi adduntur, *παραδίδοται, ὅτι ἐάν τις ἀρτιγενεῖ παιδίῳ τρίψας τι τούτων δῷ πιεῖν, ὑπ' οὐδενὸς δηλητηρίου φαρμάκου βλαβήσεται*, hoc cognomen ei datum esse putandum erit: ita ut significet: „cujus vis a nullo veneno superatur." Libros igitur Mss. sequens, lego: *qui anthophoros:* id quod etiam a Dioscoride commendatur, qui l. l. tradit smilacem asperam a quibusdam vocari *λευκάνθεμον*, et cap. seq. etiam smilaci laevi dicit esse *ἄνθη λευκά, πολλὰ κατὰ πᾶσαν τὴν σμίλακα.* Forsitan quispiam lectionem hanc recipere dubitaverit propter genus masculinum in pronomine *qui*, quoniam smilacem, ut in Graeca, ita in Latina lingua esse generis feminini intelligitur ex libri XVI. loco, quem supra attuli, et ex iis, quae in hac ipsa sectione infra leguntur: *Illam esse smilacem priorem.* At herbarum nominibus iis, quae sunt generis neutrius, adjectiva vel pronomina adjunguntur modo forma generis neutrius, ut Lib. XXVI. cap. 8. sub fin.; sect. 54. *Est aliud hypericon, quod alii corin appellant.* — et ibid. cap. 11. sub fin.; sect. 73. *semen hyperici, quod coris appellatur*: modo, subaudita voce *herba* (quae interdum additur, cf. Lib. XXVII. post med.

cap. 4.; sect. 9. *Androsaces herba est alba)*, forma generis feminini, ut Lib. XXVII. post med. cap. 4.; sect. 10. *Androsaemon . . non absimile est hyperico, de qua diximus.* — et Lib. XXVI. l. l.; sect. 53. *Eadem praestat hypericon, quam alii chamaepityn, alii corion appellant*: Quidni igitur statuamus, hic simili modo intelligendam esse vocem *frutex*, quum de ipsa smilace dicat noster Lib. XVI. l. l. *virgine ejus nominis . . . mutata in hunc fruticem*, et in iis, quae nostrum locum excipiunt, *Coronam ex eo factam* etc., libri Mss. sine ulla, quod sciam, lectionis varietate exhibeant genus masculinum? Potuerit aliquis hic afferre etiam quae proxime sequuntur: *Alterum immortalitati proximum . . . scandentem arbores*: sed minus apte: namque possunt ea sic quoque explicari: *Alterum* (genus) *immortalitati proximum*... (dixere smilacem) *scandentem arbores*, quam interpretationem, licet valde contorta ea esse videatur, non temere damnaverim, quoniam cum verbis, quae supra attuli, *Illam esse smilacem priorem*, magis quam altera haec convenit, et Plinius in ejusmodi verborum structuris tam non sibi constat, ut ex ejus usu dicendi inter duas has explicationes vix possit dijudicari.

Lib. XXV. cap. 6. med.; sect. 30.

> *Nascitur* (centaurii radix) *in collibus pingui solo. Laudatissima in Arcadia, Elide, Messenia, Pholoë et Lycia: et in Alpibus vero plurimisque aliis locis. In Lycia quidem et ex ea Lycium faciunt.*

Harduinus ad h. l. adnotavit: „Dioscorides lib. III. cap. 8. (6.) iisdem verbis.“ — Sed in novissima hujus scriptoris editione, quam Curt. Sprengel V. Cl. exornavit, legimus: *Φιλεῖ δὲ λιπαρὰν γῆν, εὐήλιον, καὶ δρυμοὺς καὶ γεώλοφα· πλεονάζει δὲ ἐν Λυκίᾳ καὶ Πελοποννήσῳ, ἐν Ἤλιδι καὶ Ἀρκαδίᾳ καὶ Μεσσηνίᾳ, καὶ περὶ Φολόην καὶ Λύκαιον καὶ Σμύρνην . . . οἱ δὲ ἐν Λυκίᾳ αὐτὴν χυλίζοντες χρῶνται αὐτῇ ἀντὶ λυκίου.* — et in notis: „*Λύκαιον ὄρος ἐν Ἀρκαδίᾳ* cum *Φολόῃ* junctum. Strabo lib. 8. p. 320. Tzsch. Vulgo *Λυκίαν*, quod brevi ante jam dicebatur.“ — *Pholoë et Lycaeo,* quod olim in nostro loco legebatur, ut restituamus suadent libri Mss., qui nomine quidem priore corrupto, posterius omnes exhibent paene integrum: in Regio enim I. est *phorus eliceao*, in Reg. II. *phorpeliceo*, in Riccard. *phorpoelyceo*, in Monac. *phoruo eliceo*. Accedit alius nostri operis locus (Lib. IV. cap. 6.; sect. 10.), ubi haec nomina occurrunt conjuncta: *Montes in Arcadia, Pholoë cum oppido: Item Cyllene: Lycaeus, in quo*

Lycaei Jovis delubrum. — Harduinus lectionem haud dubie falsam in illo Dioscoridis loco secutus est scribendo: *Pholoë et Lycia*, fortasse etiam ea ratione adductus, quod illud *In Lycia quidem*, quod jam Pintianus pro solo pronomine *quidam* ex vetusto exemplari receperat, ei flagitare videbatur, ut in antecedentibus commemoraretur Lycia. Sed non est justa causa cur libris Mss. fidem abrogemus. Namque Lyciam, quum Plinium ex iis, quae apud auctorem suum invenerit, omisisse aliqua, eaque ipsa illa, in quibus haec terra fuerit nominata, ex Dioscoride appareat, probe sumetur comprehendi verbis *plurimisque aliis locis:* nec quisquam, qui id minus recte se habere censeat, quod post *Arcadiam* terram occurrant ejus montes *Pholoë* et *Lycaeus*, non intelliget magis etiam rem impediri, si *Pholoë* mons solus legatur, et post eum *Lycia* terra.

Lib. XXV. ante med. cap. 8.; sect. 42.

Haec (buphthalmos) *cum cera scirrhomata discutit.*

Vulgata haec lectio a nullo editorum est impugnata: sed *scirrhoma* neque apud nostrum alias, neque apud ullum alium Latinum scriptorem legi, et libri Mss. exhibent: Reg. I. *cum erasia fatomata*, Reg. II. *cum cerasia flathomata*, Monac. *cum erasia flatomata*, in quibus antea mihi visum erat latere *cum cerati offa*: sed postquam Harduini notam ad Lib. XXVII. cap. 7.; sect. 28., qua dicit: „*Cypria cera.*] Hoc est, *cerato Cyprio:* nam *ceram* pro *cerato* medici omnes antiqui dicunt.", compluribus locis *) apud nostrum videram confirmatam, literas *sia* in codicum Mss. lectione ad sequentia pertinere persuasus, eas cum his conjunxi, secundum Regii I. lectionem scribendo: *siafatomata*, quod, si literis uncialibus utaris: SIAFATOMATA, quin ex voce STAEATOMATA i. e. *steatomata* **) (quae Lib. XXVI. cap. 14.; sect. 87. invenitur) corruptum sit, vix dubites. Postea demum hanc vocem, nescio an majore gaudio an stomacho, legi in Dalecampii editionis margine, inter eas lectiones, quas, litera V. signatas, ab Harduino pro nihilo haberi supra monui. Sed cum iis, quae de buphthalmo dicunt Dioscorides, lib. III.

---

*) cf. Lib. XXII. cap. 17.; sect. 19. et Diosc. IV. 86. — Lib. XXIII. ante med. cap. 4.; sect. 42. et Diosc. I. 39. — Lib. XXIV. cap. 10.; sect. 48. et Diosc. I. 126.

**) AE pro E jam antiquis temporibus scriptum esse, demonstrat (ne alia afferam) inscriptio apud Gruterum (corp. Inscrr. p. 280.), in qua legitur PRIDIAE pro PRIDIE.

cap. 146. (156.) *Ταύτης τὰ ἄνθη λεῖα σὺν κηρωτῇ οἰδήματα καὶ σκληρίας διαφορεῖ*, et Galenus de simpll. medd. facultt. lib. VI. ed. Chart. vol. XIII. pag. 165. *μέχρι τοῦ καὶ σκληρίας ἰᾶσθαι μιγνύμενα κηρωτῇ* vox *steatomata* minus convenit, quam *scirrhomata*. Itaque dum mihi cognita fuerint ea, quae a ceteris vetustis libris Mss. exhibeantur, hanc rem in medio relinquens, nunc satis habeo lectionum corruptarum, quas ex codicibus Mss. enotavi, me ostendisse originem.

Lib. XXVI. ante med, cap. 7.; sectt. 19. et 20.

Acoron jocineri medetur, thoraci quoque, et praecordiis. Ephedra, ab aliis anabasis vocata etc.

Harduinus in notis: „Prius legebatur, inquit, *Caucon, quae et ephedra*, etc. Sed priores voces nulli codices Mss. exhibent, ne in indice quidem.“ — At in Regio II. est: *caucum ephedra*, in Riccard. *caucemephedra*, in Monacensi: *Cancum quae et ephedra* (infra omisso nomine: *anabasis*). — Quorum hoc, quod ad lectionem vulgatam proxime accedit, non recte se habere ego et ipse mihi habeo persuasum, quum etiam h. l. cap. 13. init.; sect. 83. legatur: *Alii hippurin, alii ephedron, alii anabasin vocant*: *ephedra* autem sive *ephedron, cancum* vel *caucum* appellata esse nusquam tradatur. Neque vero omnino repudianda sunt, quae ex aliis illis codd. Mss. protulimus: si enim pro illo *caucum* scribas *daucum*, idque cum antecedentibus conjungas, non est quod reprehendaris. Namque in hoc nexu illud nomen non magis debebat in primo libro commemorari, quam *acoron*, quod, ut in hoc loco praecedit, ita etiam in compluribus aliis una cum *dauco* occurrit. Cfr. in hoc libro: cap. 5. extrem.; sect. 15. *Pectoris doloribus . . acorum subvenit . . . Tussi daucum.* — cap. 8. med.; sect. 47. *item acori radix daucumve.* — cap. 13. sub fin.; sect, 85. *acori radix, . . . daucum crudum.* — cap. 15. med.; sect. 90. *Daucum et menses et secundas potu facillime pellit . . . Acoron quoque utile est interioribus feminarum morbis.* — Lib. XIV. cap. 16. sub fin.; sect. 19. 6. *E stoechade . . . dauco . . . . acoro.* — Suffragatur nostrae emendationi Dioscorides quoque, qui de vino daucite dicit, Lib. V. cap. 70. *ποιεῖ δὲ πρὸς πόνους θώρακος, ὑποχονδρίων, ὑστέρας*, ita ut id tantum aliquid difficultatis afferat, quomodo illud *daucum* sententiae praecedenti adnectamur. Ut nunc res se habet, fieri non potest alia ratione, quam ut scribamus: *Acoron jocineri medetur: thoraci quoque et praecordiis daucum:* ita vero illud *quoque* est plane

otiosum: sin conferamus, quae de *acoro* dicit Dioscorides Lib. I. cap. 2. πινόμενον δὲ ἀφέψημα αὐτοῦ οὖρα κινεῖ, ἁρμόζον πρὸς πλευρᾶς πόνον καὶ θώρακος καὶ ἥπατος, ςρόφους, ῥήγματα, σπάσματα, illud *thoraci* videatur etiam ad *acoron* referendum, ideoque legendum esse: *Acoron jocineri medetur et thoraci: thoraci quoque et praecordiis daucum*: id quod quandam veri habet speciem, quia, si ita hic locus fuisset constitutus, alterum *thoraci* facile excidere potuisse patet: sed planior hanc difficultatem solvendi via nobis monstratur a codicibus Mss. Regio II., Riccardiano et Monacensi, quippe qui non habeant particulam *quoque*, qua omissa sermo bene procedit: *Acoron jocineri medetur: thoraci et praecordiis daucum.* Molesta enimvero illa vocis *thoraci* repetitio eo minus necessaria est, quod nec cetera quidem illa, quae Dioscorides adjicit, πλευρᾶς πόνον, ςρόφους, ῥήγματα et σπάσματα, commemorat noster.

Simili modo vox vulgo omissa revocanda est in hoc loco:

Lib. XXVI. post med. cap. 11.; sect. 73.

> *Tithymalus characias hydropicos sanat, plantago in cibo, cum prius panem siccum ederint sine potu: Vettonica drachmis duabus in duobus cyathis vini aut mulsi*:

in quo ante vocem *plantago* codices Ricc. et Reg. II. exhibent *phanacis*, Monac. *panacis:* quod corrigas in: *panaces.* Cum hac enim herba tanquam eadem vel similia remedia exhibentes saepius conjunguntur a nostro *plantago* et *Vettonica*, ut Lib. XXV. ante med. cap. 13.; sect. 105. *Dentibus remedio sunt panacis radix commanducata . . . Commanducantur et plantaginis radices.* — Lib. XXVI. post med. cap. 8.; sect. 47. *Tormina discutit quodcumque panaces, et Vettonica* . . . et *Plantago mane sumpta.* — ibid. cap. 9. init.; sect. 59. *Panos sanat panaces cum melle: plantago cum sale.* — ibid. ante med. cap. 11.; sect. 67. *Ad omnes vero corporis dolores* (remedium commune invenio *panacis*) *succum e scordio: item Vettonicae.* — cap. eod.; sect. 71. *Bibitur et semen hyperici utriusque in quartanis et horroribus. Vettonicae farina, quae omnes horrores coercet. Item panaces.* — cap. eod.; sect. 72. *Carbunculos rumpit panaces. Sanat Vettonicae farina ex aqua . . . vel plantago tusa.* — ibid. cap. 13. med.; sect. 85. *Ruptis convulsisque* (probatur) . . . *succus Vettonicae . . . panaces.* — cap. 14. init.; sect. 87. *Panacis omnium generum radix ex vino calido illinitur manantibus*

(ulceribus) . . . *Plantago omnium generum ulceribus.* — cap. 15. init.; sect. 90. . . . . *Vettonica* . . *bibitur contra omnia vulvarum vitia* . . . *Ipsum panaces* . . . *vulvas purgat* . . . . *Plantago apponitur in lana in dolore vulvae.* — Deinde *quinquefolium* (Lib. XXVI. cap. 9.; sect. 59.), ut hic *panaces*, sine ulla conjunctione insertum est. Denique de panacite vino legimus apud Dioscoridem lib. V. cap. 72. *ὑδρωπικοῖς καὶ θηριοδήκτοις ἁρμόζει*, id quod omnem de hac voce recipienda tollit dubitationem.

Lib. XXVI. ande med. cap. 8.; sectt. 36. et 37.

Et panos discutit. Detrahit bilem polypodion.

En Harduini commentum, qui priorum editionum lectionem, *Et capnos strumam discutit*, quod „capnos herba nihil ad alvum medendam juvaret," omnino aspernatus, nec magis eorum, quae ex libris Mss. protulit (ex Reg. 1. *Et carostrum*, et ex Reg. 5. (2.?) *Et capnostruma.*), cura sollicitatus, haec reposuit, quia Dioscorides IV. 176. (173.) de pycnocomo diceret: *Καὶ τὰ φύλλα δὲ καταπλαττόμενα φύματα καὶ δοθιῆνας διαφορεῖ.* — Sed haec non debebant hic afferri, quum in antecedentibus de illius herbae semine, non de ejus foliis, sermo sit, ita ut Harduinus videatur voluisse citare quae ibidem leguntur: *Δύναμιν δ᾽ἔχει ὁ καρπὸς ποθεὶς . . . ταραχώδη καὶ δεινὰ ἐνύπνια ποιεῖν· διαφορεῖ δὲ καὶ οἰδήματα* etc. Tum de *capno* herba Plinius dicit in hoc ipso libro, ante med. cap. 7.; sect. 19.: *Capnon herbam qui edere, bilem per urinam reddunt,* ad cujus loci similitudinem hic noster, in quo equidem ex Riccardiano enotavi *et carnostru*, et ex Regio II. *et capnos strunā*, sic poterit effingi: *Ut capnos, urina detrahit bilem polypodion*: in quibus, si quis de eo dubitet, num recte se habeant verba: *urina detrahit bilem,* quoniam in alio illo loco sit: *bilem per urinam reddunt,* is respiciat ad haecce: Lib. XX. cap. 10. sub fin.; sect. 43. *Si sanguis per urinam reddatur,* et Lib. XXIV. cap. 10. sub fin.; sect. 49. *ut sanguinem urina detrahat:* jam non poterit, in re summa certe, non mecum consentire. Sin quis pro particula *ut* habeat aliam, quam proponat, eamque meliorem conjungendi rationem, non vereatur ne ego ei obloquar.

Lib. XXVIII. cap. 4. init.; sect. 6. extr.

Et Elide solebat ostendi Pelopis costa, quam eburneam affirmabant.

In libris Mss. non legitur *costa*: sed in Regio I., ut Harduinus refert, *hosti-*

liam, in Regio II. et in Vossiano: *ostiliani*, in quatuor aliis Gronovii codicibus: *hostilia* vel *ostilia*, in Riccardiano: *ostiliāni*, in Monacensi inepte: *hasta*. — Harduinus dicit: „quid si *scapula* legas?“ quod jam ante eum proposuerat Gronovius. Nec quisquam profecto, qui ex scholiis ad Pindari carm. Olymp. I. vss. 37. sqq. H. vel ex Servio ad Virgilii Georg. lib. III. vs. 7. norit fabulam de Pelopis humero eburneo, tuebitur vulgatam lectionem. Quidnam vero in ejus loco ponendum sit, minime liquet.

Servius l. l. tradit Cererem, quae *brachium* Pelopis consumsisset, *brachium eburneum* restituisse: quae primum legenti mihi visus est noster scripsisse *Pelopis os ulnae* vel *Pelopos ulna*: quorum tamen neutrum ferri posse facile videbis. Nam in illo insulse dictum esset *os ulnae eburneae*, et in hoc terminatio casus genitivi in *os* a Plinii usu abhorreret, et ut explicaremus, quomodo id in *Pelopis ostiliani* corrumpi potuisset, sumere deberemus, librarium aliquem supra literam *p* posuisse compendium scripturae ('), (quod, licet raro tantum, invenitur pro *is*), ita ut inde ortum esset *Pelopis osulna*, quod postea in illud monstrum lectionis abiisset. Praeterea *ulna* apud prosae orationis scriptores non significat brachium sed cubitum; et Pausanias, qui in Eliacis lib. V. cap. 13. narrat de illo Pelopis osse, quod Elide solebat ostendi, (quod autem non, ut noster, eburneum fuisse dicit), id appellat modo ὀστοῦν, modo ὠμοπλάτην, ita ut *scapulam* illud fuisse pateat. Hanc vero vocem nimis ab iis distare, quae in libris Mss. legimus, unusquisque intelligit, nec propius ad ea accedit *scutulam* sive *scoptulum*, quod recipere etiam ejus genere vetamur, quum in numero singulari non, ut Dalecampius in nota ad hunc locum scripsit, dicatur *scoptula*. Alia autem vox, quae scapulam significet, in usitatis non est: at Isidorus Hispalensis Orig. lib. XI. cap. 1. §. 76. dicit: „*Alae subbrachia sunt appellatae, eo quod ex iis in modum alarum motus brachiorum inchoet, quas quidam* a s c i l l a s*) *vocant, quod ex iis brachia cillantur i. e. moveantur.*“ — Haec si consideremus, *subbrachia* minus ad id, quod quaerimus, apposite dicta esse apparet: latius vero patet vis *alarum*, quas *ascillas* vocari dicit Isidorus. Quid ergo, si *ascilla* legamus? — Alias quidem haec vox

*) In vetustis quatuor libris Mss. Monacensibus (saecc. VIII. IX. et X.) est *ascellas*. — Hujus vocis origo unde deducenda sit, fateor me nescire. Fortasse quispiam a voce Indica अंस (ansa), qua notatur humerus, eam repetiverit.

non occurrit, sed ex hac ipsa causa, si ea erat in nostro loco, poterat addito *m*, quod postea in *ni* immutabatur, facillime corrumpi in id, quod nunc in codicibus Mss. est. Adde, quod Isidorus eorum, quae prodidit, magnam partem ex Plinii naturalis historiae libris congessit, ita ut hanc vocem ex hoc ipso loco discere potuerit, et aliquam certe huic conjecturae inesse probabilitatem mihi concedes. Ultra, ne in audaciae crimen vocer, non progrediar.

Lib. XXXVI. cap. 6. med.; sect. 8.

Post hunc Lepidum ferme quadriennio L. Lucullus Consul fuit, qui nomen (ut apparet ex re) Lucalleo marmori dedit, admodum delectatus illo: primusque Romam invexit, atrum alioqui, cum cetera maculis aut coloribus commendentur. Nascitur autem in Nili insula, solumque paene horum marmorum ab amatore nomen accepit.

Conferas Harduini notam: „Reg. II. et Colb. III. *in Nilo insula.* Pintianus conjiciebat *in Melo* legi posse commodius. Nos *in Chio,* Isidoro auctore, qui hunc locum exscripsit.“ — Vulgata lectio, *in Nili insula,* certo damnanda est: nemo enim dixerit: *in Nili insula,* quin adjiciat nomen aliquod, ut Lib. XXVIII. cap. 3.; sect. 6. *in insula Nili Tentyri,* id quod etiam Ernestius, qui ceteroqui de hac lectione non dubitavit, sensisse videtur, quippe qui in Archaeologia liter. pag. 140. scripserit: *in Nili insula quadam.* At ne sic quidem ego hanc lectionem probaverim, quum marmor in *Nili* insulis nasci non sit verisimile. — Quod Harduinus ex Isidoro protulit, et Broterius recepit, *in Chio insula,* id mihi quoque olim valde placebat, quoniam *marmor Chium* occurrit etiam Lib. V. post med. cap. 31.; sect. 38. *Montem habet* (Chios) *Pellenaeum: marmor Chium.* — et paulo ante hunc nostrum locum dicitur (cap. 6. init.; sect. 5.) *Primum (ut arbitror) versicolores istas maculas Chiorum lapicidinae ostenderunt.* Sed si posteriorem hunc locum cum nostro comparaveris, intelliges eum ipsum lectioni *in Chio insula* adversari. Permirum enim videatur nostrum paulo ante de Chii marmoris versicoloribus maculis loquutum hic Chium marmor atri coloris memorare, neque ad illum locum respicere, sed in universum tantum dicere: *cum cetera* (marmora) *maculis aut coloribus commendentur.* Multo libentius illam lectionem reciperem, si locus noster ita esset constitutus: *Primusque Romam invexit. Nascitur autem in Chio insula, atrum alioqui, quum cetera maculis aut coloribus commendentur,* ita ut illud *cetera*

nonnisi ad marmora in Chio insula nascentia referretur. Talem vero mutationem nemo comprobaverit ad fulciendam lectionem a solo Isidoro exhibitam, quem potius illud *in Chio* per imprudentiam ex superiore illo loco in huncce transtulisse crediderim. — Quod Pintianus conjecit legendum esse, *in Melo insula,* id et multo magis cum eo, quod in libris vetustis est, et paene omnino convenit cum codicis Monacensis lectione, qui exhibet: *in millo insula*, quod, sicut *Melos* etiam in tabula Peutingeriana (ed. Mon. segm. VIII. D.) appellatur *Milos*, nihil aliud est, nisi *in Melo insula.* Denique naturae insulae, quae sulphur et similia gignat, et de cujus alumine dicatur: Lib. XXXV. post med. cap. 15.; sect. 52. *Nulli vis major neque adstringendi, neque denigrandi, neque indurandi.* — haud inconveniens est marmor atri coloris. Non igitur est, quod aliam quaeramus lectionem.

Jam pauca disseram de totius operis fine.
Ante omnia monendum est, librum ultimum, si Laurentianum excipias, in omnibus, quae inspexi, vetustis exemplaribus, sicut in Vossiano et in Pintiani codicibus deesse, in uno Regio II. altera manu adscriptum: unde tamen nemo argumentum sumat, quo probet hunc librum Plinio esse abrogandum: protinus enim haec ratio refutaretur eo, quod jam Solinus et Isidorus Hispalensis in componendis suis libris eo usi sunt, et quod in primo libro, — quem suppositum esse, codicum Mss. auctoritate nisi, Harduino (cf. Chronol. vet. test. p. 152.; et not. 8. ad Plin. N. H. epist. nunc., ed. II. tom. I. pag. 1. sq.) aliisque minime concedimus — ceterorum librorum argumentis hujus quoque index subjectus est. — Eorum vero codicum Mss., qui ultimum hunc librum continent, alii, ut Parisiensium quatuor et Vaticanorum unus, desinunt in capitis ultimi, sectionis 76. verba: *Experimenta pluribus modis constant. Primum pondere, . .* alii, ut Laurentianus, Monacensis et Petropolitanus, in haecce: *et prius quam ad oculos perveniat desinens nitor:* alii denique, iique paucissimi, ex quibus est Parisiensis N. 6804., ut libri editi exeunt in verba: *Ab ea, exceptis Indiae fabulosis, proxime quidem duxerim Hispaniam, quacumque ambitur mari.* — In illorum locorum neutro statui posse operis nostri finem, luce clarius est, quum sententia in iis non sit absoluta: sed ne hoc ultimo quidem id commode terminatur.

Plinium enim, qui alias, ubi ad novum argumentum transiit, semper aliquid addidit, quo lectorem hac de re admoneret, in opere extremo quoque tale quid adjecisse, quo illum dimitteret, credi par est. Nihil vero legimus,

nisi verba: *Et jam peractis omnibus naturae operibus discrimen quoddam rerum ipsarum atque terrarum facere conveniat:* quae quidem operis finem non longe abesse indicant, sed et ipsa argumentum nobis suggerunt, quo ad sententiam nostram confirmandam utamur. Namque ubi est illud discrimen rerum et terrarum? Inchoatum est, non finitum: Italia, India et Hispania tantum commemorantur, de earumque prima sola accuratius disputatur. Haud magis in ultima hac sectione reperiuntur ea, quae in primo libro ei inesse dicuntur: *Comparatio naturae per terras: Laus Italiae et Hispaniae.* Initium illius comparationis adesse nemo negabit, nec laus Italiae desideratur: sed nec tota natura per terras comparatur, nec laus Hispaniae inest in his verbis: *Ab ea, exceptis Indiae fabulosis, proxime quidem duxerim Hispaniam, quacumque ambitur mari,* in quibus praeterea verba *proxime quidem* flagitare videntur, ut plura insequantur.

Quae quum ita sint, non dispicio, quid causae sit, cur tam paucis iisque recentioribus libris Mss. ita confidamus, ut eos Plinii opus integrum exhibere, nec potius, ut in aliis, ita in his quoque, etiamsi pauca tantum, extrema intercidisse existimemus.

Hoc observationum criticarum specimen, eo minus omnibus numeris absolutum, quod id perscribenti mihi, quum quae ex libris Mss. excerpseram Sillig io V. D. tradidissem, nonnisi pauca obiter antea a me adnotata ad manum erant, num quid afferat ad emendandos C. Plinii Secundi Naturalis Historiae libros, sit aliorum judicium: at ei, qui vulnera librariorum inscientia iis imposita aggrediatur sanare adhibitis iis, quae apud Plinium ipsum aliosve scriptores inveniantur dictione vel argumento similia, magno adjumento esse codices Mss. ab Harduino vel omnino non, vel negligentius perlustratos, id quidem certe ex eo poterit intelligi.